

Varie Quæstionculæ circa præcedentem materiam resolvuntur.

ni vacaret, quæ ratio nunc non urget. Ad id, quod additur de libertate matrimonii, negatur Consequentia, seu D. ergo Ecclesia non potuit prohibere absolute, Transeat; posita certa conditione libera, N. Omnibus enim liberum reliquit nubere absolute, sed, si velint sponte ordiari, exigit continentiam; sicut liberum Deus reliquit omnibus esse negotiatorem; quod tamen Ecclesia justè prohibet quibusdam, puta Sacerdotibus.

Obj. 5. Apostoli post Resurrectionem Christi habuerunt uxores, ut patet ex 1. Cor. 9. ubi Apostolus dicit: Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, ut ceteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephas? Item Concilium Ancyranum, Angouri in Galatia, ann. 314. Can. 9. relato cap. Diaconi dist. 28. sic habet: Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerint, velle se conjugii copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio manent, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debent. Item Concilium generale Nicænum cum vellet statuere, ne Clerici majorum Ordinum uterentur uxoribus prius ductis, Paphnutius Confessor dissuasit, eique acquieverunt ceteri. Ita referunt Socrates libr. 1. c. 8. Sozomenus libr. 1. c. 22. Nicephorus libr. 8. c. 19. Ergo. R. r. ex his nihil sequi contra nos. Esto enim, quod nec Apostoli, nec Clerici priorum seculorum servaverint continentiam, id probat tantum, quod lex continentie non esset tunc imposita Clericis; sed non probat, quod postea non fuerit justè imposita, quod annu asserimus. Cum enim sit res disciplina, potest esse diversa in diversis temporibus, poteratque primitus Ecclesia propter penuriam Ministrorum ipsis permittere usum conjugii, quibus postea multiplicatis justè denegavit. Insuper ex abundantia ad singula. R. Ad 1. de nullo, quàm de Petro Matth. 8. constat habuisse uxorem; sed, etsi habuerint, constat etiam eos illas reliquisse ex illo Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Quod autem inter illa omnia comprehendatur uxor, quoad thorum conjugalem, patet ex responsione subjuncta Christi interpretantis, quid sit relinquere omnia: Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, &c. Ad locum Apostoli dicendum, quod loquebatur de piis mulieribus, quæ quibusdam Apostolis erant comites, ut necessaria vitæ ministrarent. Nec obstat contraria explicatio Clementis Alexandrini apud Euseb. 4. libr. Hist. c. 24. non enim ipse solus debet præponderare Tertulliano, Hieron. Aug. &c. licet etiam ipse Clemens intelligat de uxoribus, quas tamen habebant ut Sorores.

Ad 2. dici potest, temporariam fuisse hanc dispensationem a lege communi, factam ab Episcopo ad protestationem Diaconi, ut innotuit textus, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Undè nullum similem Canonem legere est in Orientalibus Synodis sex priorum seculorum. Dubitant autem quidam, an rectè egerint Episcopi hujus Synodi sic dispensando, nisi forte propter penuriam Ministrorum. Ad 3. 1. Baronius cum multis aliis rejiciant historiam Socratis, Sozomeni, & Nicephori, ut adulteriam in hac parte; quia neque Theodoretus, neque Rufinus de Paphnutio loquentes, neque ullus Scriptor, qui ante tres nominatos de rebus in Concilio peractis scripserant, hujus historie meminerunt. 2. Supposita veritate hujus historie, Patres Concilii cum Paphnutio nihil aliud voluerunt, quàm quòd poenis non animadverteretur contra Clericos, qui non abstinabant a conjugibus, dissimulantes malum, quòd propèr incontinentiam Clericorum, quæ tunc serpebat, immedicabile judicabant, ne forte absolute rescando ipsum exasperarent. Ita Domin. Soto in 4. d. 38. q. 1. art. 2. Quod autem Socrates addit ex Paphnutio, antiquam Ecclesie traditionem hoc tantum præcepisse, ut sacris initiati a nuptiis inmundis abstinerent, rem locutus est de suo, non quæ fuerit unquam in ore Paphnutii, aut saltem quoad hoc ipsi opponuntur Epiphanius, & Hieronymus. Epiphanius hæresi 59. sic habet: Ecclesia adhuc viventem, & liberos signentem, unius uxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab una continet, aut in viduitate vivit, Diaconum, Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiamonum, maxime ubi sinceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos signere, & Presbyteros, & Diaconos. At non est justa Canonem, sed justà hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Hieronymus adversus Vigilantium c. 1. Quid faciens, inquit, Orientis Ecclesie, & Egypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistant, quoad usum scilicet. Hæc dicta sint in gratiam eorum, qui tenent, legem continentie pro Clericis majoribus, tam Græcis, quàm Latinis, fuisse communem in Ecclesia ab ejus exordio, quamvis ab aliquibus violaretur, aut fortè aliquando in ea dispensaretur, ut contingit quotidie in Legibus Ecclesiasticis. Iterum de hac materia, dum de impedimentis Matrimonii.

Petes 1. Utrùm Clerici majores in Ecclesia Latina obligentur ad continentiam immediatè ex præcepto Ecclesie, an mediante voto, quod emittunt? R. probabilius obligari ex voto. Patet ex Jure Greg. libr. 1. Ep. 47. refertur c. 1. d. 20. dicit: Nullum facere Diaconum præsumant Episcopi, nisi, qui se viceturum castè promiserint. Eadem dist. c. Diaconi ex Concilio Ancyrano: Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem professi continentiam, &c. & c. Cum olim de Clericis conjugatis: Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentie non admisit. Similiter plura alia Concilia, & communiter Theologi.

Respondet Franciscus Henno cum quibusdam aliis, Jura & Theologos sumere votum similitudinariè pro lege obligante ad continentiam, quia Clerici se illi voluntariè subjiciunt, sicut qui voluntariè emittunt votum. Sed contra 1. in aliis Ecclesie præceptis lex nunquam exprimitur nomine voti, quia lex illud præcipit. 2. Quomodo S. Th. Theologorum Princeps, & ad eum jus principia accomodatit suam Theologiam laudatis Scriptor, sumeret votum similitudinariè pro simplici lege obligante ad continentiam, cum infra q. 53. art. 3. expressè distinguit inter legem, & votum, & dicit, quòd Græci obligentur tantum ratione Ordinis, seu legis Ordini annexæ; Latini verò obligentur ratione voti, quod est sacris Ordinalibus annexum, & addit, quòd hoc votum si quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso tamen, quòd Ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesie, intelligitur emittisse: & inde inferit, quòd Ordo Sacet impediatur apud Orientales Matrimonium contrahendum, sed non Matrimonii prius contracti usum; & contra apud Occidentales impediatur & Matrimonium contrahendum, & Matrimonii antea contracti usum. 5. Si Clerici sola lege Ecclesiastica, & non voto, tenerentur servare continentiam, posset nunc summus Pontifex absque ulla causa, validè, si non licitè, absolvere omnes Clericos presentes ab illa lege, ita quòd omnes Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, & Episcopi possent nubere; nulla enim ratio requiritur in Legislatore ad dispensandum validè in sua lege; quod sanè foret magnum inconveniens, nec, ut putatur, admissum ab adversariis. Non posset autem, si teneatur voto; quia ad validè dispensandum in voto requiritur legitima causa.

Petes 2. Utrùm, qui susciperet sacrum Ordinem antè usum rationis, aut post ex gravi metu injustè incusso, teneretur ad continentiam? R. negativè; quia votum debet esse ex proprio consensu, cujus est incapax infans; & factum ex gravi metu injustè incusso est irritum. Deberet tamen abstinere a functionibus Ordinis, si vellet uti matrimonio.

Petes 3. Utrùm, qui ignoraret votum continentie esse annexum Ordini sacro, ad illam servandam teneretur? R. sfirmativè ratione voti impliciti; quia, qui vult aliquod officium, implicitè vult et, quæ sunt illi annexa.

Petes 4. Quid, si suscipiens Ordinem expressè nollet votare? R. Videtur, quòd non teneretur voto, quòd esse non potest sine consensu saltem implicito, qui hic excluditur per voluntatem expressè contrariam. Neque ut videtur Lex Ecclesiastica; quia non datur lex apud Latinos immediatè de observanda castitate, sed de emittendo voto castitatis; teneretur autem vi istius legis statim emittere votum; & quandiu differret, tandiu peccaret, essetque inhabilis vi istius legis ad contrahendum Matrimonium.

Petes 5. Quò se recipere debent uxores Clericorum post Ordinationem continentium? R. Prioribus sæculis habitabant in propriis ædibus maritorum, tamquam sorores, cubiculo tamen remotæ. Can. 12. Concilii Trull. id prohibitum fuit Episcopis. Apud Latinos verò propèr varios Clericorum conjugatorum lapsus cautum est, ut eorum uxores in Monasteriis recluderentur.

Petes 6. Utrùm Clerici minorum Ordinum aliquando fuerint obstricti lege continentie? R. Novem prioribus sæculis ab ea lege fuisse immunes; ad sæculo 10. & 11. in quibusdam Conciliis Provincialibus, Augustano ann. 952. Tolosano ann. 1056. & aliis fuerunt adstricti; sed sequentibus sæculis ex sanctione exoleverunt, nec ulla amplius in Conciliis de illis facta est mentio, sed tantum de majoribus Clericis.

Querit S. Th. hic q. 35. de effectu Sacramenti Ordinis Sed ex Dissertat. 1. & 2. de Sacramentis in genere, & ex dictis hinc, & inde in præsentis Tract. constat esse duplicem, scilicet, gratiam, qui est effectus communis omnibus Sacramentis, & characterem.

De Episcopabus, Presbyterabus, Diaconissis, & Subdiaconissis.

De Fabula Papiasæ.

Ad §. 1. art. 3. Præced. Dissert.

Ad eundem §. 1. art. 3.

PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1. Quæ fuerint olim Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, & Subdiaconissæ, de quibus apud veteres est frequens mentio? R. vario sensu sic dictas fuisse. 1. Sic dictæ sunt, quæ erant uxores eorum, qui assumebantur ad Episcopatum, ad Presbyteratum, ad Diaconatum, & Subdiaconatum. Ita vocantur in Concilio Turon. 2. ann. 567. can. 13. in Concilio Antioxiensi ann. 578. can. 21. apud S. Greg. libr. 4. Dialog. c. 11. in Concilio Rom. ann. 721. c. 1. Hæc autem tenebantur se recipere in Monasterium, ut jam dixi, & ibi profiteri; aut si manerent in sæculo, vivere castitatem. Ità Concilium Antioxiense, citatum, Romanum, & plura alia. 2. Presbyteræ quondam dicebantur Viduæ seniores, Presbyter enim est senior. Ità Concilium Laodiense, relatum cap. Mulieres Dist. 32. & D. Th. hic q. 39. art. 1. o. 3. Diaconissæ præsertim, de quibus est frequenter mentio, dicebantur, quæ ad certa munia Ecclesiastica alicujus Ordinis functionibus assua deputabantur, ut patet ex petione sequenti, Undè

Petes 2. Quæ erant Diaconissarum Ministeria? R. Primum erat subseruire Episcopo, vel Presbytero baptizanti mulieres, ut modestè nudarentur, & cautè operirentur, ne paterent aspectui baptizantis. Ex libr. 8. constit. Apostol. c. 28. & S. Epiphinio, per. 79. Secundum, aperire, & claudere janua Ecclesie, hæc quam mulieres intrabant Ecclesiam. Constit. Apost. ibid. Tertium, comitari mulieres, quæ Diaconum, vel Episcopum adibat: nulli enim mulieri sine Diaconissa ad eos accedere licebat. Ibid. libr. 2. c. 26. Quartum, rudibus mulieribus rudimenta fidei, & ritus Baptismi exponere. Ex Concilio Carthag. 4. can. 12. Quintum, mitti ad Christianas mulieres consolandi, vel sublevandi gratia. Constit. Apost. libr. 3. c. 15. Sextum, habere curam pauperum viduarum. Ex Apos. Rom. 16. Quædam alia referuntur; sed hæc sunt præcipua.

Petes 3. Quæ mulieres assumebantur ad munus Diaconissæ? R. assumebantur viduæ probatæ unius viri, & Virgines, ex Constit. Apost. libr. 6. c. 17. Viduæ sexagenarie, ex Apost. 1. ad Tim. 5. Quæ Virgines quadragenarie, ex Concilio Chalced. can. 15. quia majus est periculum in junioribus viduis matrimonium expertis, quàm in Virginibus inexperis. Frequentius Viduæ, quàm Virgines; quia illæ erant magis aptæ pluribus munitis Diaconissarum, quàm istæ.

Petes 4. An aliquo ritu Diaconissæ consecrarentur? R. affirmativè; qui tamen ritus non erat Ordinatio propria, & Sacramentalis, Prob. 1. pars. 1. ex Constit. Apost. libr. 8. c. 19. & 20. ubi præscribitur forma ordinandi Diaconissam cum impositione manuum Episcopi, presentibus Presbyteris, Diaconis, & Diaconissis, & cum oratione. 2. Ex Concilio Chalcedonensi can. 25. ubi fit mentio impositionis manuum in ordinatione Diaconissæ. 3. Ex Ordine Romano, edito in Bibliotheca Patrum tom. 13. pag. 736. ubi legitur ritus ordinandi Diaconissam inter Missarum solemniam post Graduale, cui, consecratione peracta, ponat Episcopus orarium in collo ejus dicens: stola jucunditatis induat te Dominus; ipsa autem imponat velamen capiti suo, palam omnibus de altari acceptum. 3. Ex Enchirlogiis Græcorum, in quibus etiam referuntur certi ritus consecrandi Diaconissas.

¶ Secundæ pars constat 11. ex Concilio Laodic. can. 11. ubi veratur mulieres In Ecclesiam tamquam ordinatas constitui. Ex Concilio Epanensi ann. 517. can. 21. & Concilio Arelat. 2. can. 17. 2. Ex hoc, quòd nunquam Diaconissæ ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem admittæ sint, inquit S. Epiphanius hæ. 79. sicut Diaconi admittuntur. 3. Quia, ut probavimus, sexus femineus est incapax ordinationis Sacramentalis. Quando ergo veteres vocant quandoque hunc ritum Ordinem, seu Ordinationem, sumunt Ordinem, vel Ordinationem improprie pro ceremonia Ecclesiastica, seu benedictione, quæ Diaconissæ ad Ecclesiastica ministeria deputantur. Nec obstat, quòd Euchologia Græcorum referant ea peragi in Ordinatione Diaconissæ, quæ peragi solent in Ordinatione Diaconi. Esto; deest capacitas ex parte subjecti, & intentio ex parte Ministræ.

Hanc fabulam primus invenit Marianus Scotus; en ejus verba in Chronico ad ann. Christi 853. & 854. si tamen non sint adulterata: Leo Papa obiit Kalendis Augusti. Huic successit Joanna mulier amnis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Quam solidissime confutarunt Baronius, Bellarminus Florimundus, Ræmundus, Onuphrius Panvinus, & alii plures etiam ex hæreticis Blondellus Minister Calvinian. recenter, & fuisse noster P. Le-Quien in opere, cui titulus Oriens Christianus t. 3. p. 381. & sequent. sufficienter, & benè noster Natalis Alexander in hist. Eccles. Sæculo 9. Dissert. 3. cui nonnulla ex dicendis accepta referimus.

Dico. Aperta, & putida est fabula, mulierem nomine Joannam ad summ. Pontificatum evectam fuisse inter Leonem IV. & Benedictum III. Nota Marianum Scotum primum hujus fabule auctorem obiisse ann. 1086. ideoque ipsum floruisse plusquam 100. annis post Leonem IV. & Benedictum III. Nos autem contra ipsum non nisi testimonio Scriptorum utriusque Pontificis coævorum, aut supparium proferemus. Prob. 1. Leoni IV. mortuo 17. Julii ann. 855. statim, immediatè successit Benedictus III. ergo aperte fabulosum est, inter eos sedisse mulierem quobus annis, quinque mensibus, & quatuor diebus.

Prob. Ant. multipliciter: Ex Adone Miennensi Scriptore coevo in chronico ann. 855. Pontifex Romanus Gregorius moritur, inquit, atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo succedit, quo obveniente, Benedictus in Sede Apostolica substituitur, jam tum defuncto Lothario Imperatore. 2. Ex Anastasio Bibliothecario item coevo in vita Benedicti III. Leo quidem ubi hac luce subtractus Præsul occubuit, mox omnis clerus istius Romane protectæ Sedis universique præces... uno consensu, unoq; conamine Benedictum... promulgaverunt eligere. Item ex eodem Anastasio in historia Schismatis, orti contra electionem Benedicti artibus Arsenii Episcopi Egobini; in qua scribit, Anastasio pseudo-Pontifex per Legatos Imperatoris pulso, Benedictum ipsis presentibus fuisse consecratum Pontif. 28. Septembris ann. 855. cum electus fuisset 1. Augusti, statim a morte Leonis, qui obiit eodem ann. 17. Julii, & per Schisma Anastasii ejus consecratio impedita fuisset. 3. Ex Lupo Abbate Ferrariensi etiam coetaneo, qui Ep. 103. ad Benedictum data gratulatur ipsi ob ejus exaltationem, & virtutum paritatem cum suo præcessore Leone; testaturque, se hanc Epistolam scripsisse statum, ac accepit Leonis obitum, & ipsius scilicet Benedicti creationem. 4. Ex Annalibus Bertinianis ad ann. 855. Mense Augusto Leo Apostolicæ Sedis Antistes defunctus est, eique Benedictus succedit.

5. Ex Hincmaro Rhemensi Epist. 26. in qua scribit, quòd Nantii, quos Romam direxerat, acceperint in via mortem Leonis Papæ, pervenientes autem Romam obtinerint Privilegium, quòd petebat, A Domino nomine, & re Benedicto. Ergo Benedictus immediatè Leoni successit, & non post duos annos, & quinque menses: nisi ridiculè fingas, istos Nuntios tres ferme annos itinere insumpsisse. 6. Ex diplomate, quòd ipse Benedictus ad Episcopos Gallie direxit pro privilegiis Abbatie Corbeiensis; Mense Octobri, imperante Lothario, & ejus filio. Obiit autem Lotharius 28. Septembris ann. 855. duobus mensibus post Leonem IV. ut expressè testantur. Ado citatus, Annales Bertiniani citati, & Regino Prumiensis Abbas in Chronico ad ann. 855. Equidem tempore dati Diplomatis jam obiit Lotharius; obiit enim 28. Septembris, vel nocte præcedente, & Benedictus, 1. Augusti electus, consecratus tantum fuit 28. aut 29. Septembris ejusdem anni; sed nondum tunc Romam pervenerat Nuntius de morte Lotharii. 7. Ex Photio, qui libr. de Spiritu S. processionem adversus Latinos Benedictum immediatè subjungit Leoni. Similiter Matrophanes Smyræus, alter Romanæ Ecclesie hostis. Porro, si mulier tunc temporis sedisset in Romana Sede, id procul dubio non siluissent hostes ejus infensissimi, idque ei exprobrassent, sicut postea Leo IX. epistola ad Michælem Episcopum Constantinop. c. 23. exprobravit Græcis mulierem in Sedem Constantinopolitanam irrepisse; quòd certè non assens fuisset Leo objicere Græcis, si tale quid accidisset Romanis. Plura alia in probationem ejusdem Ant. omitimus; quia quibus hæc non sufficiunt, plura non proderunt.

Prob. Conclusio. Hæc narratio habet omnes characteres ineptissimæ fabulæ. 1. Nullo coævorum auctorum testimonio fulcitur, sed a Recentiore, scilicet Mariano Scoto post 200. & amplius annos primum vulgata est. 2. Progressu temporis crevit adjunctis semper novis circumstantiis. In primis enim Marianus Scotus simpliciter dixit, Leoni V. feminam successis-

se duobus annis, & quinque mensibus. Martinus autem Polonus, seu verus ejus interpolator, post annos 185. a Mariano, & 420. ab electione Benedicti, commentum simplex variis figmentis ornauerunt, scribentes feminam illam vocatam fuisse Joannam Anglicam in Moguntia oriundam, in solemnibus supplicationibus peperisse inter Templum S. Clementis, & Coliseum, atque in hujus facinoris execrationem supplicationes publicas ab hac via deinceps declinasse. Postea Theodoricus Niemiensis circa ann. 1413. addidit, Statuam in ejus eventus memoriam erectam fuisse. Platina deinde circa ann. 1481. sedem perforatam, seu stercorariam retulit, in qua sexus novi Pontificis exploraretur ab ultimo Diacono. Alii post alios centum annos addiderunt, hanc Papissam non solum fuisse meretricem, sed etiam praestigiaticam. Alii tandem ipsam coronasse Ludovicum sextidum Imperatorem. Sic fabulae crescunt eundo.

3. Scaturit contradictionibus, & ineptiis, quae illam destrunt. 1. Dicit, istam Joannam fuisse Anglicam ex Moguntia oriundam, cum Moguntia sit in Germania, & non in Anglia. Ut autem hanc contradictionem salvent fabulae Scriptores, inter se pugnant. Quidam dicunt natam in Anglia, sed ex parentibus Moguntiacis. Platina e contra fuisse natam Moguntiam, sed ex Parentibus Anglis. Magdeburgenses neque natam, neque oriundam ex Anglia, sed ibi educatam. 2. Dicit operam dedisse literis Athenis, cum constet ex Synesio, qui vivebat paulo post tempora S. Basilii, Ep. 35. ad Fratrem suum, jam tunc non superesse Athenis, nisi locorum Academiae nomina: *Athenae*, inquit, *quondam civitas fuit sapientum Domicilium: nunc eam Mellatores celebrant.* Et ex Cedreno, & Zonara in vita Michaelis, & Theodora Imperatorum habemus, quod illic sint resituta tantum studia a Barda Cesare sub fine Imperii Michaelis, qui contigit Sub Nicolao I. Benedicti III. Successore, consequenter post mortem Papissae fabulosae. 3. Dicit Joannam postquam biennium Romae legisset, & vita atque scientia magne opinionis esset, in Papam concorditer fuisse electam. At incredibile est, quod femina ignota, incertae originis, & Patriae, sine ullo ordine, & testimonio anteaetate vitae sic facta fuerit Pontifex, praesertim cum a S. Petro usque ad Formosum, qui fuit electus anno 890. nullus fuerit creatus Pontifex, qui in Ecclesia Romana non esset educatus, & per omnium Ordinum gradus ad Diaconatum saltem non pervenisset. 4. Dicit ab amasio impraegnatam in supplicatione publica peperisse. At quis credat eam, quae juvenis habuerat amasium sine partu, Pontificem factam, & jam senem peperisse? Quis credat, mulierem novem mensibus gravidam nulli ex suis familiaribus, Medicis, Anticis innotuisse, aut ipsam aperto se prodehendi periculo voluisse se exponere? 5. Dicunt Magdeburgenses, peperisse, cum ex Vaticano vellet invisere Ecclesiam Lateranensem. At certum est, teste Onuphrio in libr. de 7. Eccl. Romanos Pontifices usque ad tempora Bonifacii IX. id est, usque ad ann. 1300. non habitasse in Vaticano, sed in Lateran. Palatio. Quomodo ergo, si in Laterano habitabat, volebat ex Vaticano invisere Lateranum?

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Testimonium Mariani Scoti, de quo supra. 2. Testimonium Sieberti in Chronico ad ann. 854. ubi haec habet: *Papa est, hunc Joannem feminam fuisse, & uni soli familiari tantum cognitam, qui eam complexus est, & gravida facta peperit Papa existens. Eam inter Pontifices non numerant quidam.* Florebat autem Siebertus in fine 12. saeculo. 3. Testimonium Martini Poloni Ordinis Praedicatorum, Nicolai III. Penitentiarum, qui latius factum exposuit, ut patebit ex sequenti testimonio. 4. Testimonium S. Antonini part. 2. Chronicon tit. 16. cap. 1. §. 6. ubi hanc de Papissa narrationem ex Martino Polono sic excipit. *Post hunc Leonem Martinus in Chronica sua posuit Joannem natione Anglicam. Qui sedit anno Domini 850. in Cathedra Petri annis duobus, mensibus tribus, diebus sex. Quo mortuo cessavit Papatus mense uno. Hic, inquit, Martinus, ut asseritur, femina fuit, & in puellari etate a quodam suo amasio in habitu virili Athenas adducta sic in diversis scientiis profecit ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post Rome in trivitiis legens magnos Magistros Discipulos, & auditores haberet. Et cum in urbe in scientia, & vita magne opinionis esset, in Papam concorditer eligitur post Leonem: sed in Papatu per suum familiarem impraegnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata in partu inter Ecclesiam S. Clementis, & Coliseum peperit in via. Et in partu mortua ibidem sepulta dicitur. Et quia Papa eandem viam semper obliquat, cum Lateranum accedit, creditur a plerisque, quod ob detestationem facti hoc faciat. Nec ponitur in catalogo summorum Pontificum propter mulieris sexum. 5. Testimonium Platinae in libr. Vitae de Pontificum in Joanne VIII. Joannes, inquit, Anglicus ex Moguntia oriundus malis ar-*

tibus; ut ajunt, Pontificatum adeptus est. Mentitus enim sexum, &c. ut in testimonio Martini Poloni, praeterquam quod addat de sede stercoraria. 6. Pontifices eundo ad Lateranum semper declinant a via, in qua Joana peperisse dicitur, licet sit brevior, in detestationem hujus facinoris. 7. Tandem in hujus rei memoriam posita fuit in eadem via statua quaedam representans mulierem cum infante, quae postea aliquo jubente Pontifice in Tiberim projecta est. Item Senis in majori Templo inter Pontificum status collocatum fuit Joannae Papissae simulacrum usque ad Clementis VIII. Pontificatum.

R. 1. Generaliter, Scriptores coevis, quos retulimus, majorem esse fidem adhibendam, quam recentioribus, praesertim cum eorum narratio contradictionibus scatet, & alios habeat characteres fabulae, ut ostendimus. R. 2. ad singula. Ad primum 1. In antiquissimis Codicibus Mariani Scoti hanc fabulam non reperiri testatur, qui edidit Coloniam ann. 1574. Metropolitani Alberti Krantsii, & notis illustravit, etsi hanc notam eraserint Typographi Francofurtenses, ut observat Leo Allatius. Hujus Responsionis veritas inde firmatur, quod nullus ex assertoribus hujus fabulae post Marianum Scotum, exceptis Recentioribus, ejus testimonium proferunt, sed Martini Poloni: *Omnes, quos legi, inquit, Ptolomeus Lucensis l. 16. Hist. c. 8. praeter Martinum (Polonum) tradunt, post Leonem IV. fuisse Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum.*

2. Dato, sic scripsit Marianum, variis ejus anacronismi etiam in hac ipsa aetate, de qua agitur, fidem ipsi auferunt. Inter alios scribit Leonem IV. obiisse. 1. Augusti 853. & tamen constat ex Anastasio Bibliothecario, Leonem eodem anno 8. Decembris congregasse Romae Concilium, in quo depositus fuit Anastasius Cardinalis. Item constat, ipsum anno sequenti condidisse Urbem Leopolum. Totum ergo tempus, quod Joannae Papissae concedit, ad annum ipsius Leonis spectat, siquidem nullum pro Papissa relinquunt. Insuper scribit, Benedictum III. sedit ad ann. 857. & tamen constat ex Anastasio supra cit. exaltatum fuisse 19. Septembris 855. Praeterea, si Leo IV. obiit 8. Augusti 853. & Benedictus III. fuit tantum creatus ann. 857. non igitur duobus tantum annis, & quinque mensibus inter utrumque sedit Joana, ut scribit, sed ab minus tribus annis, & quinque mensibus. Plures alios hujus Scriptoris aevos refert Natalis Alexander citatus. Ad 2. Sieberti Chronicon haec in parte esse interpolatum, & haec, quae objiciuntur, manu aliena esse addita, constat ex antiquo grapho Monasterii Gemblacensis, ubi Siebertus erat Monachus; quod testatur se vidisse Joannes Molanus Doctor Lovaniensis, & Aubertus Mirzeus, qui illud edidit, in quo haec lacina de Joana Papissa desideratur. Id confirmatur ex eo, quod Vincentius Bellovacensis libr. 25. Speculi historialis cap. 36. & Guillelmus Nanguins in Chronico, qui Siebertum in Historiis horum temporum de verbo ad verbum excubant, nullam Joannae Papissae mentionem faciunt.

Ad 3. Chronicon Martini Poloni esse pariter corruptum, siquae assutam fuisse hanc Papissae fabulam, invictè probat noster Echard in opere, cui Titulus *Scriptores Ordinis Praedicatorum ad Martinum Polonum* Tom. 1. p. 361. Advertit 1. eruditissimus Scriptor, Martinum in scribendo suo Chronico hanc methodum servasse. In una pagina ad laevam exhibet Pontifices, in altera ad dexteram Imperatores. Quamlibet paginam in 50. lineas dividit, & in margine ad caput cujusque lineae annum scribit, adeo ut in qualibet pagina sint 50. anni distincte notati; nomen cujusque Pontificis positum est initio lineae, cui junctus est in margine annus, quo inii Pontificatum, totque sibi vindicet lineas, quot sedit annis, licet non omnes plenas, sed quandoque vacuas. Idem de Imperatoribus. Ea methodo scriptum esse codicem Vaticanum Urbani VIII. annuit Allatius, eadem suum Fabricius, eadem quosdam ex Caesaris Lambecius, eadem Florentinum S. Mariz Novellae, testatur ipse Echard, qui vidit.

Advertit 2. quod in omnibus codicibus hujus methodi a quibus exulat Fabula Papissae, servetur exacta Chronologia. Sic Leo IV. seu V. in linea scriptus est, ad quam e latere signatus est ann. 847. & cum dicitur sedit octo annis, tribus mensibus, & sex diebus, debentur ei octo lineae, quas implet; Benedictus III. collocatur immediatè in linea sequenti ad ann. 855. & sic habent codices laudati; nullus, ut patet, superest locus, nec superesse potest Joanni Moguntiano. In codicibus verò ejusdem methodi, in quibus assuta est fabula, Chronologia est omnino perturbata, & confusa; patet in codice Victorino, in quo ut locum Joannae Papissae reperiret Exscriptor, duas integras paginas perturbavit, collocando Pontifices Leonem praecedentes annis superioribus, quam electi fuerant, paucioresque lineas, & annos concedendo, quam sederint, & eorum Pontificatum intra pauciores annos connotando.

Advertit 3. Codices manuscriptorum esse quadruplicis generis. Primi puri, & sinceri sunt, a quibus omnino exulat Fabula,

quales sunt Vaticanus Urbani VIII. ab Altrio laudatus, Fabricianus, quatuor Caesarei a Lambecio laudati, Naudaeus a Labbeo Biblioth. nov. p. 222. Navarricus, & indubiè plures alii.

Secundi generis sunt, in quibus fabula in margine tantum est addita, Pontificum catalogo intacto, quales sunt Florentinus S. Mariz Nov. Parisiensis D. Abbatibus de Camps, Tongerloensis a Suffrido laudatus, Leodiensis ornatissimi viri D. Baronis de Crassier, quem in ejus elegantissima atque amplissima Bibliotheca ego ipse legi. Tertii generis sunt secundum methodum Martinianam, & ipsi interpolati, in quibus a margine in textum fabula irrepsit, & Chronologia est interturbata, ut Victorinus. Quarti generis sunt citra methodum Martinianam, in quibus vel deest Chronologia, vel unus tantum annus in margine, aut in textu apponitur, inserta in plerisque fabula; & hi corrupti. Ex his manifestum apparet, nullam fidem esse adhibendam iis codicibus, qui illam fabulam referunt, eamque contra mentem Auctoris fuisse assutam.

Conjectat eruditissimus Scriptor, rem sic evenisse. Cum Chronicon Martini haec methodo scriptum commodum videretur, & omnes desiderarent, aliunde ista fabula jam a pluribus annis in vulgus esset sparsa, eam 1. ad marginem e regione Leonis quidam scripserunt, ut ut res se haberent; postea verò e margine in Catalogum alii invexerunt, & ut locum ei facerent, Pontifices Leonem antecedentes & subsequentes loco eis ab Auctore dato moverunt, omninoque in duabus paginis perturbarunt. Nec ibi cessavit: nam, cum Chronicon istud ad methodum Martini cessare scribere esset molestum, quia id non nisi in codicibus in folio servari poterat, & forma minori scriptum commodius videretur, quidam Chronologiam omnino omiserunt, alii aliquem ex annis cujusque Pontificis annotarunt, non attendentes scrupulos, ut esset primus, vel secundus, vel tertius, & inde in hujusmodi codicibus tanta Chronologiae varietas. Haec fusiùs discussa & probata legi possunt apud laudatum Echard. Addam dumtaxat, neque in opere interpolato Martini hanc fabulam asseri ut veram historiam, sed ut populari & incerta fama factam. *Illic*, inquit, ut asseritur, *femina fuit ... Et in partu mortua ibidem sepulta dicitur. Et quia Papa eandem viam semper obliquat, creditur a plerisque, quod ob detestationem facti hoc faciat.*

Ad 4. S. Antonium, ab interpolatoribus Martini Polini deceptum, eorum dumtaxat verba refert, & de eorum veritate dubitat, maxime ob silentium Vincentii Bellovacensis & Joannis de Columna. Verò, inquit, *valde mirandum ... Si verum fuit quod vulgo dicitur, ut iste refert ... Vincentius tamen in speculo*

DISSERTATIO IV.

DE EPISCOPATU.

D. Thom. Suppl. Quaest. 40.

EPISCOPUS graecè idem est ac latine *Inspector, Explorator, Superintendens; Sacerdos, Sacra donans; Presbyter, Senior; Diaconus, Minister.* Tria hic potissimum inquirimus. 1. An Episcopus sit institutione divina superior Presbyteris? 2. An Episcopus sit Ordo distinctus a Presbyteratu? 4. Quot Episcopi requirantur ad ordinationem Episcopalem?

ARTICULUS I.

Utrum Episcopus sit institutione divina superior Presbyteris?

ARIUS saeculo IV. ægrè ferens repulsam ab Episcopatu, quem ambierat, ut se solaretur, contendit nullum esse Jure divino discrimen inter Episcopos & Presbyteros. De quo Epiphanius her. 75. & Aug. l. de hæresib. c. 53. Similiter Wiclef, spe frustratus obtinendi Episcopatum Vigorniensem, eandem insaniam adoptavit, ut scribit Thomas Valdensis l. 2. Doctrinae Fidei art. 3. Horum vestigia premit Calvinus l. 4. instit. cap. 4. cui adherent Puritani, seu Presbyteriani in Anglia, pro quibus Blondellus Calvinistarum Minister prolixam instituit disputationem, quam inscripsit: *Apologia S. Hieronymi de Episcopis & Presbyteris.* Hunc enim S. Doctorem vel invitum in sua partes trahere conatur.

Observa, questionem esse de Jure divino; non enim negant Hæretici, Episcopos præminere Presbyteris Jure humano, sive tamquam primogeniti, qui fuerunt prius admissi in Clerum, sive sicut Princeps electus est superior civibus ex eorum electione & institutione. Unde plures ex nostris frustra congerunt argu-

historiali & Joannes de Columna nihil de hac re referunt. Sed essi verum fuit, &c. Ad 5. Platina pariter ab interpolatis Martini Poloni codicibus fabulam hausit; nec tamen eam ut veram asserit, quin imò significat potius eam fabularum loco habendam esse subdit enim: *Hæc, quae dixi, vulgo circumferuntur, incertis tamen & obscuris Auctoribus: quae idem ponere breviter & nudè insitit, ne obstinate nimium & perniciter omnino viderer, quod ferè omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quamquam appareat, ea, quae dixi, ex his esse, quae fieri posse creduntur.*

Quod verò de Sede stercoraria additur, ad explorandum sexum Pontificis destinata, id ut fabulosum rejicit ipse Platina, aitque, Pontificem in illa sedere, ut si hominem esse & naturæ necessitatibus obnoxium meminisset: unde & stercoraria dicitur. Idque fit non ante electionem, sed post, cum novus Pontifex ritu solemniter Lateranensem Basilicam primam vice ingrediatur. Alii volunt, hanc sedem lapideam in porticu Lateranensis Basilicæ collocatam stercorariam dictam non a forma, neque enim est perforata, sed a veru, qui, Pontifice in ea sedente, caneatur: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem; ut sedeat cum Principibus & solum gloria teneat.* Adde, Platina fidem in Pontifices esse suspectam ob injuriam ipsi a Paulo II. factam, a quo propter seditiosam suspicionem in carcerem detrusus fuerat.

Ad 6. Pontifices eundo Lateranum deflectunt ab illa via breviori, non in detestationem ullius sceleris, sed quia est angusta & anfractuosa, ideòque incommoda Pontificio comitatu, qui semper frequentissimus esse solet. Quamquam, teste Onuphrio in notis ad Platina, Pontifices per hanc viam non semel transierint, etiam ab eo tempore, quo figurat fabula Papissae. Ad 7. Statua, quae olim visebatur, non mulierem representabat, nec infantem in sinu positum, sed puerum grandiorum præcedentem. Unde conjecterent rei antiquitatis periti in ea representari Sacerdotem Ethnicum ad sacrificandum præcente Ministro, pergentem, praesertim cum altera manu ramum palmæ deferret, quod non est insigne Pontificum, qui cruceum aut clavæ gestantes representantur. Illa autem statua sublata est tempore Sixti V. qui hanc viam sicut plures alias rectorem & ampliore fieri curavit in urbis ornamentum & utilitatem.

Statua Templi Senensis equidem Papissam representabat, at imperitiae eorum, qui opus curabant, Senensium convenientiae, atque error ac licentiae Sculptoris tribuendum est, juxta illud Horatii. *Pictoribus atque Poëtis qualibet audenti semper fuit aequa potestas.* Hæc verò statua jussu Clementis VIII. sublata est.

menta, quibus probant simpliciter eminentiam Episcoporum supra Presbyteros, non distinguentes inter Jus divinum & humanum. Insistendum est ergo Juri divino.

Duplex in Episcopo distinguitur potestas: una Ordinis, qua non solum Sacramenta conficit & administrat, sed etiam fideles confirmat, chrisma conficit, Sacerdotes & alios Ministros consecrat, &c. Altera jurisdictionis, tam in foro interno, qua ligat, vel absolvit a peccatis, quam in foro externo, qua regit Ecclesiam, dogmata definit, disciplinam sancit, mores corrigit, refractarios coercet, &c. Est enim jurisdictio exterior potestas dicendi jus in alterum etiam invitum, De utraque potestate est questio.

Dico. (Suppl. q. 40. art. 4. o.) Episcopi sunt ex institutione divina superiores Presbyteris potestate Ordinis & jurisdictionis. Prob. de potestate Ordinis. 1. Apostolus ad Tit. 1. dicit *Hujus gratia reliqui te Creta ... ut constituas per civitates Presbyteros.* Potestas instituendi Presbyteros est potestas Ordinis, nec ab alio, quam a Christo potest obtineri Episcopi nihil enim Ecclesia potest in potestatem absolutam conferendi Sacramenta. Unde, licet possit v. gr. impedire, ne Sacerdos licite consecret, non potest tamen impedire, quin valide consecret. 2. Christus solis Apostolis, & non septuaginta duobus Discipulis dixit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego misit vos quod comprehendit utramque potestatem Ordinis & Jurisdictionis Joann. 20. Item solis Apostolis concessa est potestas dandi Spiritum S. per Confirmationem, quod est actus Ordinis Act. 8. v. 14. & seq. Episcopi autem sunt successores Apostolorum, sicut Presbyteri 72. Discipulorum, ut definit Trid. sess. 23. c. 4. post Damasum Ep. 4. S. Hieronymum Ep. 27. ad Marcellam, &*